



I. Abtheilung: Studien.

Zur Reformgeschichte des Benedictiner-Ordens im XV. Jahrhunderte.

Von P. Otto Grillnberger, Ord. Cist. in Wilhering.

Vom Papste Nicolaus V. »pro communi animarum salute«¹⁾ nach Deutschland geschickt, verordnete der Cardinal Nicolaus von Cusa auf dem unter seinem Vorsitze zu Salzburg gehaltenen Concil am 8. Februar 1451: »Nos auctoritate apostolica, qua in hac parte fungimur, omnibus et singulis personis religiosis monasteriorum quorumcunque tam virorum quam mulierum in praedicta provincia Salzburgensi ubilibet constitutis, exemptis et non exemptis, sub poena amissionis et revocationis omnium et singulorum privilegiorum, indultorum et unionum praedictarum eis et eorum monasteriis atque locis quibuscunque etiam apostolica auctoritate factarum et concessarum districte praecipiendo mandamus, quatenus infra unum annum a die datarum praesentium computandum regularem vitam iuxta regulas et statuta ordinis, quem, ut praemittitur, professae sint, effectualiter observare incipiant et sic inceptam fideliter continuare studeant et teneantur.«²⁾

Es galt nun, die beschlossene Reform durchzusetzen. Der Anfang wurde mit den Benedictiner-Klöstern gemacht. In seinem Schreiben vom 3. März 1451, Wien,³⁾ theilte der Cardinal den Vorständen derselben mit, dass er die Aebte Martin von den

¹⁾ So Nicolaus von Cusa bei Hansiz, *Germania sacra* II, 484.

²⁾ Bei Hansiz a. a. O. 484.

³⁾ Vgl. Hansiz a. a. O. 485 f.

Schotten zu Wien und Laurenz von Mariazell und den Prior Stephan von Melk zu Visitatoren ihres Ordens im Erzbisthume Salzburg und den zu diesem gehörigen Suffraganbisthümern ernannt habe. Letzterer wurde nach seiner Wahl zum Abte von dem Melker Professen Stephan Schlitpacher abgelöst.¹⁾

Ueber die reformatorische Thätigkeit dieser Commissäre ist man nun im allgemeinen nicht im Unklaren. Abt Martin hat sie in dem Dialoge »Senatorium«²⁾ zur Darstellung gebracht, andere³⁾ haben diese vervollständigt. Nicht so im einzelnen. Es dürften also nachstehende, in der Wilheringer Handschrift Nr. 14, XV. Jhd., 21 × 30 Cm., Foll. 50—61, enthaltene Aktenstücke, von denen uns das eine zeigt, was die genannten Visitatoren im Kloster Niederaltaich anstrebten, das andere, was sie erreichten, einiges Interesse zu erregen im Stande sein. Der Verfasser des ersteren ist Abt Laurenz von Mariazell.⁴⁾

* * *

I.

In nomine beatissime ac indiuidue trinitatis. Amen. Redemptor humani generis visitans nos oriens ex alto, quamuis communem viuendi modum per precepta docuerat dicens: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata, modum tamen maioris perfectionis non tacuit, cum dixit: Qui uult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Quem modum viuendi tandem sancti patres distinctione habituum et doctrinis regularium spiritu sancto inspirante introduxerunt, prout non minimus est modus viuendi ordinis sanctissimi patris Benedicti. Qui tamen ordo nunc propter raritatem visitacionum in pluribus locis a primeua institutione multipliciter declinauit. Quapropter beatissimus pater et dominus noster graciosissimus dominus Nicolaus modernus papa quintus ad partes Alemannie legatum suum reuerendissimum in Christo patrem dominum Nicolaum presbiterum Cardinalem transmisit, ut per eius sollicitudinem et industriam tam sacra religio monasteriorum in dictis partibus collapsa salubriter reuiuiscat quam uita monastica in locis uigens reformatis proficiendo in melius laudabiliter perseueret. Hinc est, quod nos fratres

¹⁾ Vgl. Schramb, Chronicon Mellicense 428.

²⁾ Theilweise veröffentlicht von Schramb a. a. O. 430 ff., vollständig von Pez, Scriptores rerum Austriacarum II, 626 ff.

³⁾ Die Literatur bei Keiblinger, Geschichte des Benedictiner-Stiftes Melk I, 573, Anm. 1. Vgl. auch Wichner, Geschichte des Benedictiner-Stiftes Admont III, 181 ff., 468 ff.; Braunmüller, Studien und Mittheilungen aus dem Benedictiner-Orden III (1882), 1, 311 ff.; L. Pastor, Gesch. d. Päpste I, 350.

⁴⁾ Vgl. Abt Martin, Senatorium bei Pez a. a. O. 638: „Alterius officium, scilicet Domini Abbatis Cellae-Mariae, fuit dirigere processum uisitationis per divisionem in tres partes: in examen, proclamationem et finalem decisionem per Cartam aut aliunde.“

Martinus abbas Scotorum Wiene, Laurentius abbas Celle Marie et Johannes Schlitpacher professus monasterii Mellicensis vices sui abbatis gerens ordinis sancti Benedicti Patauiensis diocesis visitatores monasteriorum ordinis iam dicti utriusque sexus in prouincia Saltzburgensi constitutorum per prefatum reuerendissimum patrem dominum legatum ad visitandum dicta monasteria, reformandum, corrigendum ac ordinandum deputati, prout in literis commissionis eiusdem reuerendissimi patris super hoc confectis plenius continetur, tenore presencium notum facimus, quod ad monasterium sancti Mauricii Althe Inferioris predicti ordinis sancti Benedicti Patauiensis diocesis secundum commissionem nobis factam visitandi gratia uenientes ac visitacionis illic opus exercentes spiritualium et temporalium eiusdem monasterii statum a personis ipsius monasterii professis ab eis prius recepto corporali tactis sacrosanctis euangelis iuramento solito diligenter perquisiuimus ac inuenimus dictum monasterium in spiritualibus ab obseruancia regulari in multis declinasse et in temporalibus notabiliter defecisse. Licet autem defectus et excessus huiusmodi, prout nobis visum fuit, cum benignitate correximus, quia tamen ad nostram commissionem principaliter pertinet prouidere et agere, ut monasteria per nos visitanda, nedum ad bonum statum tam in spiritualibus quam in temporalibus perducantur, sed eciam in futura tempora in tali statu conseruentur, idcirco propter multas verbo doctrine instructiones subscriptas ordinaciones ad hoc necessarias et perutiles a nobis collectas professis huius monasterii ab eis obseruandas reliquimus.

De diuino officio.

Ab opere ergo dei, cui secundum regulam beatissimi patris nostri Benedicti nichil preponendum est, incipientes statuimus et ordinamus, ut diuinum officium in omni loco et signanter in choro cum reuerencia et morum grauitate ac ceremoniis religiosis atque verborum integritate tractim et cum debitis pausis distantibus et nimiis clamoribus exclusis tam legendo quam cantando ab omnibus huius monasterii personis regularibus deuote persoluatur, ita tamen, quod psalmodia diurnis horis stando perficiatur, licet in officio nocturno ob eius prolixitatem sessio alternatim per choros ex bona causa possit tollerari.

Ad psallendum autem, cantandum uel legendum scolares aut alii seculares fratribus minime coniungantur.

Officium misse scolares, prout necessitas exegerit, sine fratribus in loco apto possunt decantare.

Usus eciam organorum in precipuis festiuitatibus ad uesperas utrasque uel ad missam publicam ad dei et sanctorum honorem

permittimus, ita tamen, quod symbolum, prefacio et dominica oracio integre decantentur.

De cantoribus.

Ad vitandum autem nimiam altitudinem et bassitudinem in cantu et ut cultus dei concordius persoluatur, videtur nobis expedire, ut sint duo continui cantores, in utroque videlicet choro unus, qui sciant bene cantare et mensuram tenere.

De rubrica Romana.

Item ut presens monasterium cum Sacro Specu ac monasteriis ab eo originaliter reformatis in cultu dei ad conformitatem reducatur aliqualem, auctoritate visitacionis nostre concedimus, ut dominus abbas et conuentus huius monasterii valeant rubricam Romanam assumere ac calendariis concordatis eandem in diuinis officiis secundum consuetudinem dictorum monasteriorum deinceps pertractare absque tamen principalium librorum missalium et cantualium corruptione.

De cursu beate virginis.

Placet insuper nobis, ut officium cursus de beatissima virgine Maria secundum consuetudinem Sacri Specus et monasteriorum inde reformatorum agatur in futurum.

Ut cuncta diuina officia certis horis persoluantur.

Insuper statuimus, ut cuncta diuina officia congruis horis premissis debitis signis iuxta tradicionem regule et monasteriorum nostri ordinis reformatorum consuetudinem peragantur, ita ut ad matutinum in duodecim lectionibus hora undecima, in una uel tribus circa duodecimam surgatur.

Ad primam autem diebus ieiuniorum hora sexta, aliis uero diebus hora quinta excitetur. Hyemis tamen tempore dominicis diebus circa medium quinte excitetur.

Ad terciam uero diebus ieiuniorum circa octauam, aliis autem diebus circa septimam pulsetur.

Nona uero diebus ieiuniorum circa undecimam, ceteris autem diebus circa duodecimam terminetur.

Sed hora vesperarum sic moderetur, ut hyemis tempore extra quadragesimam necnon diebus unius comestionis circa horam quartam regulariter finiantur. Diebus autem ieiuniorum in estate ante quintam horam terminentur.

Hora uero collacionis et completorii ita moderetur, ut estiuo tempore circa sextam, hyemali autem, quando ieiunatur, circa quintam horam completorium finiatur. Et ut hec commodosius

fieri possint, horologium a sollicito fratre registretur, cui aut alteri officium excitandi committatur.

De confessoribus capitularibus.

Item quia confessionis sacramentalis, si rite fiat, magnus est fructus, ideo abbati iniungimus, ut fratribus suis discretos et boni zeli constituat confessores inter lepram et non lepram discernere scientes. Qui potestatem habeant absoluendi fratres a casibus abbati reseruatis, ita tamen, quod eos propter tales casus abbati remittant. Qui infra octo dies, si sui copiam habere possint, se representent nec confessores aliquem absoluant, qui se modo iam tacto abbati presentare recusaret, neque aliquis fratrum alicui ad placitum confiteatur aut alium absoluat sine licencia prelati aut alterius presidentis vicem prelati gerentis. Abbas tamen, ut vultum peccatorum suorum agnoscat, omnium monachorum suorum bis in anno uel saltem semel ab aduentu usque ad pascha confessiones audiat generales. Ipse eciam, quantum cura permittit rei familiaris, frequenter sit cum fratribus in conuentu, scilicet choro, capitulo ac refectorio, ut maior disciplina ex sui presencia seruetur personali.

De missis.

Ceterum quia deuota missarum celebratio viuis prodest et defunctis, idcirco omnes huius monasterii sacerdotes frequenter et deuote missas curent celebrare et nullus ultra tres dies sine causa rationabili et de licencia superiorum presumat abstinere. Prouideat tamen abbas pro confessionum audicione et pro missis priuatis congruum et tempus sufficiens ei, ut lecturi missas per defectum ministrorum non negligantur.

Monachi vero non presbiteri singulis ebdomadis confiteri et primis dominicis singulorum mensium debent secundum ordinationem iuris communicare necnon in festis principalibus et alias secundum laudabilem consuetudinem monasterii presentis.

De capitulis quottidianis.

Et quia sine punicione negligenciarum et excessuum vita regularis nequit in longum perdurare, ideo per abbatem, priorem aut alium presidentem quottidiana teneantur capitula, ubi post lectionem regule et alia, si qua dicenda fuerint, fratres de suis culpis se humiliter accusent aut per presidentes uel seniores religionis zelatores caritative proclamantur et absque personarum aceptione iuxta culparum exigenciam et personarum qualitatem puniantur. Culpe autem generales singulis mensibus ad minus semel recitentur.

De silencio.

Item quia virtus silentii est pacis conseruatrici et sacre religionis solidum fundamentum, regule et ordinacioni iuris canonici innitentes statuimus, ut in locis conuentualibus et presertim refectorio, dormitorio et oratorio et signanter tempore refectionis et collacionis, dormicionis meridiane in estate et cultus diuini in choro et maxime omni tempore post completorium decantatum usque ad capitulum diei sequentis ab omnibus personis regularibus huius monasterii continuum silentium teneatur excepta necessitate aut communi utilitate cum licencia presidentis. Quod si quis hanc legem silentii post completorium transgressus fuerit, disciplinam uel comestionem in terra sustineat. Si uero alio tempore in oratorio, dormitorio uel refectorio uel tempore meridiane dormicionis id fecerit, a primo cibo et a media parte vini abstineat. Si uero aliis locis silentium soluerit, uno cibo aut priuetur aut media porcione vini abstineat seu careat. Quas tamen penas, sicut presidens potest aliquibus ex certis causis augere, ita aliis quandoque minuere, numquam tamen totaliter relaxare.

De solaciis fratrum.

Pro recreacione tamen fratrum concedimus, ut extra quadagesimam et aduentum domini singulis ebdomadis semel hora prima usque ad horam secundam generale colloquium de rebus utilibus una die teneatur priore, si commode fieri possit, presidente, nouiciis tamen et hospitibus exclusis.

De hora lectionis et labore manuum.

Item quia dicente beato Benedicto ociositas inimica est anime et scriptura teste multum maliciam docuit ociositas, ideo uolumus, ut huius monasterii professi oracioni, meditacioni et labori certis temporibus et horis insistant, ut semper a dyabolo inueniantur occupati.

Innitentes uero practice monasteriorum nostri ordinis bene institutorum horas lectionis et laboris manualis sic determinamus, ut scilicet diebus ieiuniorum post sextam usque ad signum hore none uel post terciam usque ad signum pro sexta, aliis uero diebus post nonam usque ad horam primam lectio regularis habeatur. Horam autem primam post meridiem et diebus ieiuniorum, quibus habetur dormicio meridiana, horam secundam laboribus manualibus deputamus ordinacionem illorum operum quadagesime temporibus abbatis discrecioni comittentes.

De proprietate.

Item quia rerum proprietate saluti religiosorum est contraria et statui eorum impossibilis, ideo auctoritate visitacionis nobis

commissa singulis personis huius monasterii professis stricte iniungimus, ne aliquis eorum habere proprium presumat nec per se aut alium occulte siue manifeste aliquid ad propriandum sibi acquirat nec ab amicis seu quibuslibet aliis pecunias aut munera oblata accipere siue eciam dare alicui audeat, sed omnia talia abbati aut eius commissionem habenti presententur et nichil omnino monachus habeat aut expendat nisi cum uoluntate abbatis et licencia. Qui tamen licenciam habendi aliquid ut proprium nulli concedere licite potest.

Item seriose uolumus, ne pro singulis fiat distribucio pecuniarum, panis, vini et caseorum. sed pariter in communi refectorio manducet. Remanencie quoque potus et ciborum a nullo fratrum pro sui usu exportentur, sed in usum pauperum ad arbitrium abbatis conuertantur. Nec aliquis monachorum de re quacumque sibi concessa meum dicere presumat, sed nostrum debet nominare. Sed neque literas mittere aut recipere a quoquam hominum secundum regulam audeat sine licencia superioris. Et ut occasiones huius nequissimi vicii penitus auferantur, auctoritate, qua supra, domino abbati et ceteris, ad quos pertinet. firmiter iniungimus, ut omnibus fratribus sufficienter et honeste in victu et amictu et aliis necessariis prouideant. Cibi conuentuales cum diligencia disponantur, coquantur et condiantur et ad tollendum fastidium discrete alternentur omniaque ad hoc necessaria, scilicet oua, legumina, casei, sagimina, pisces, fructus et similia, temporibus debitis et in sufficienti copia comparentur.

De qualitate et quottitate ciborum et potus.

Concedimus eciam, ut diebus ieiuniorum quatuor cocta fercula, diebus uero bine comestionis ad prandium tria, ad cenam duo in copia sufficienti per singulos equaliter distribuantur et singuli de singulis scutellis manducant. Panis de tritico aut siligine esibilis et bene preparatus sufficienter conuentui apponatur. Vina mediocria et sana, non pendula aut acetosa nec corrupta aut nimis acerba in competenti quantitate per singulos equaliter ministrentur, crapula tamen et ebrietate semper exclusis.

De infirmaria.

Item quia secundum tricesimum tercium capitulum regule omnia necessaria a patre monasterii sunt speranda omniaque omnibus debent esse communia, auctoritate nostra uolumus et statuimus, ut redditus olim pro infirmaria ac custodia specialiter deputati deinceps per abbatem aut suum cellerarium pro tempore colligantur et per ipsum seu suos officiales ad communem usum monasterii et fratrum, prout opus fuerit, fideliter distribuantur et necessaria pro sacristia et cultu dei inde procurentur.

De seruitore et lectore mense.

Item a seruitio mense, similiter a lectura ad mensam nullus eximatur exceptis presidentibus aut aliis legitime impeditis. Mixtum tamen secundum regulam panis et vinum et non aliud commestibile sit.

De abstinencia carnis.

Item esum carniū et ciborum cum carniū uel pinguedine carniū conditorum omnibus personis huius monasterii regularibus sanis et fortibus iuxta tradicionem regule et ex speciali commissione supra nominati reuerendissimi in Christo patris domini legati omnino prohibemus, qui omnes dispensaciones in contrarium factas tamquam regule contrarias literarum suarum tenore irritas esse decernit. Infirmis tamen et omnino debilibus, qui pro suarum virium reparacione esu carniū indiguerint, in infirmaria concedatur. Hospitibus tamen superuenientibus et familie monasterii presentis infra eiusdem septa nullatenus ministrentur, exceptis officinis artificum et habitacionibus famulorum, in quibus ipsis esus potest carniū ministrari, donec communis locus reficiendi eis deputetur.

De septis monasterii.

Septa autem huius monasterii esse decernimus ecclesiam monasterii ac totam domini abbatis habitacionem ac omnia regularia loca necnon totam curiam intra portam interiorem cum officinis et horreis intra murum circumferencialem inclusis usque ad custodiam inclusiue.

De ieiunio regulari.

Item ieiunium regulare tam estatis quam hyemis tempore ab huius monasterii professis secundum capitulum quadragesimum primum regule obseruetur, necessariis tamen et rationabilibus dispensacionibus semper saluis. Caueat tamen dominus abbas uel eius vices gerens, ne in dispensando super ieiunio nimis facilis aut nimis strictus sit et presertim ne idem ieiunium toti conuentui sine necessitate aut sufficienti causa relaxet, ne ex hoc obseruancia veniat in collapsum. Quia vero plerique religiosi in monasteriis non, que dei, sed que uentris sunt, querunt, ideo, dum lautos cibos et potus non habent, impatienter murmurant et aliis quandoque occasionem querulandi prestant. Nos huic morbo contagioso occurrere cupientes volumus, quod abbas in dubiis circa prouisionem victualium cum fratribus deum timentibus et expertis de moderacione victus diligenter deliberet ad regulam et monasteria bene instituta respectum habendo et contra moderacionem victualium in quantitate et qualitate sic deliberate facta nullus fratrum audeat murmurare. Quod si quis presumpserit, in abstinencia vini et duorum ferculorum aut alia abstinencia

condigne puniatur, et si alios secum ad murmurandum prouocauerit, durius affligatur.

Prohibemus tamen conuentui post cenam dierum bine comestionis sub lectione collacionis in refectorio aut extra refectorium cibum uel potum ministrari.

De infirmis fratribus.

Item, quia iuxta capitulum regule tricesimum sextum maxima cura debet esse abbati, ne fratres infirmi sive in spiritualibus siue corporalibus rebus negligentur, ideoque ordinamus, ut abbas infirmariam cum omnibus necessariis, puta cameris, lectisteriis, speciebus et ceteris, prouideat sufficienter committatque officialibus, ut iuxta suarum infirmitatum exigenciam sic eis prouideatur, ut, quantum fieri potest, defectum nullum paciantur. Deputet quoque eis pro infirmario fratrem timentem deum, patientem et sollicitum, qui eis diligenter ministret et cuncta necessaria studeat ipsis procurare. Ausamus tamen, ne abbas aut prior sit nimis facilis concedere fratribus ingressum ad infirmariam, sed infirmitates et condiciones diligenter considerans personarum indigentibus consenciat et non indigentibus ingressum racionabiliter dissuadeat. Quod eciam circa constitutos in infirmaria, postquam meliorati fuerint, obseruandum est. Infirmi sic se religiose verbis et factis exhibere studeant, ut amatores vite regularis possint iudicari et fides eis queat adhiberi.

De vestiario fratrum.

Item vestiarium fratrum specialiter deputatum cum pannis laneis et lineis et ceteris ad vestitum necessariis, cum papiro, incausto, pennis et huiusmodi per abbatem prouideatur sufficienter et per fratrem sollicitum conseruentur et fratribus secundum abbatis commissionem dispensentur. Pensatis autem istarum parcium locis credimus pro singulis monachis sufficere loco camisiarum linearum eis in iure prohibitarum duas tunicas albas nocturnales de grosso panno, unam tunicam longam immediate sub habitu deferendam de panno mediocri, unam cucullam sine manicis et floccum, duo scapularia, unum nocturnale paruum, capuciatum tamen, alterum in laboribus et aliunde de die deferendum. Que uestes uniformes sint in figura et colore iuxta dispositionem et consuetudinem monasteriorum bene institutorum.

Item duo pellicia, magnum et paruum, calceos filtratos propter hyemem, duos calceos simplices sine circulis siue fibulis, duas mitellas laneas, unam subductam, aliam simplicem et barbutam, cui placuerit.

Nullus tamen religiosus huius monasterii pellicio aut subductura quacumque de pellibus animalium siluestrium utatur.

Stramenta lectorum per singulos sint strapodium, filtrum siue matricium de lana tantum, duo lintheamina lanea, tecture, quantum exigit indigencia, puluinar et capitale cum pannis et mitris capitalibus.

Quos lectos et cellas abbas iuxta dispositionem regule sepe visitet et videat, ne fratres sine licencia aliquid uel superflua et inutilia retineant.

Nullus fratrum in cella sua cistam uel aliud repositorium sub clausura clauis habeat.

Celle autem fratrum de die sic aperte sint, ut presidentibus, quando uoluerint, liber pateat ingressus.

Nemo tamen ceterorum cellam alterius sine licencia speciali intrare presumat. Secus faciens casum abbati reseruatum incurrat et nichilominus puniatur.

Quomodo fratres se habeant post completorium.

Item ut post completorium fratres ad dormitorium cicius conueniant et in sua quiete non impediuntur, uolumus, ut finito completorio dormitorium congruo tempore claudatur, leuitates, discursus et strepitus aliorum impeditiui diligenter vitentur. Excedentes autem et clausuram dormitorii ex sua culpa negligentes puniantur. Ad dormitorium tantum abbas, prior et sacrista clauis habeant.

Item quia iuxta traditiones sanctorum ac doctrinas virorum peritorum et experientia teste presencia mulierum libidinis prebet incentiuum et aliquando castitatem mentis et corporis solet uiolare, igitur firmiter statuimus, ut nulla umquam mulier ad chorum et absides annexas nec ad capitulum ac intra supradicta monasterii septa ingredi permittatur, dempta parte ecclesie posteriori, ubi tamen uersus dextram absidem chori cancellus aut murus cum ianua iugiter clausa erigatur, ne mulieribus propter earum curiositatem intraudi chorum aut uersus custodiam occasio tribuatur. Nec a quoquam religioso aliqua mulier, eciam si mater eius esset, ad quemcumque locum intra iam dicta septa constitutum introducat. Quicumque secus fecerit, ab abbate sic grauiter puniatur, ut rigor punicionis fiat aliis exemplum similis fugiende presumptionis.

Et quoniam claustrum a claudendo nomen accepit, talis semper locorum conuentualium clausura seruetur, ut extraneis personis eciam laicis non liber pateat ingressus necnon fratribus egrediendi sine licencia et multorum aliorum malorum occasiones ita auferantur.

Ne fratres egrediantur de monasterio.

Item quia teste beato Benedicto uagari extra monasteria omnino non expedit animabus monachorum, ideo statuimus, ut

monachis huius loci raro per abbatem concedatur egrediendi de monasterio licencia nec quisquam licenciam obtineat nisi ex euidenti necessitate uel utilitate abbati exposita et per ipsum approbata. Egressuro uero per abbatem terminus redeundi pefigatur, infra quem si cessante legitimo impedimento venire neglexerit, sic, ut ceteri metum habeant, puniatur. Exeuntes uero de monasterio vestibus utantur religionis pro via deputatis aut talibus, quales in monasterio ferre consueuerint.

De magistro nouiciorum.

Item quia continuacio vite regularis multum pendet ex nouiciorum collectore et eorum religiosa instructione, quapropter uolumus, ut abbas iuxta tradicionem regule habeat ydoneum magistrum nouiciorum, qui uerbo et exemplo ad lucrandas animas aptus sit et diligenter informet nouicios in cunctis, que ad ipsorum pertinent salutem, cultum dei et vitam regularem, quibus in suis difficultatibus possetenus subueniat cuncta necessaria procurando et in eorum tentacionibus ipsos consolando. Nemo aliorum eos molestat aut de eorum uita sine licencia se intromittere audeat. Contrarium presumentes secundum qualitatem excessus puniantur. Quorum scrupulis propter delacionem habitus ab habitu professorum indistincti oriri solitis obuiare cupientes uolumus, ut cucullam sine manicis in lateribus totaliter apertam et scapulare in partibus inferioribus rotundam deferant in futurum. Qui tempore probacionis finito, si ydonei ad religionem reperti fuerint, secundum regulam expressam sub debita forma faciant professionem nulla munerum receptione aut conuiuiorum prouisione precedente uel occurrente.

De consiliariis.

Item ut propter uarietatem et causarum grauitatem pro tempore tam temporalium quam spiritualium presenti monasterio incumbencium onus pastorale abbas leuius ferat, tradicioni regule capitulo tercio innitentes ordinamus, ut ipse dominus abbas quinque habeat fratres consiliarios cum consilio conuentus per cedula eligendos, quorum consilio in casibus dubiis utatur. Causas tamen, que consensum aut consilium conuentus requirunt, non terminent, sed antequam tales incipiantur, ad conuentum deducantur. Nec ipsi consiliarii statum monasterii in rebus, quas pre manibus habent, alicui extraneo aut eciam intacito fratri sine licencia prelati reuelent.

De sigillo conuentus.

Item futuris damnis monasterii efficacius prouidere cupientes statuimus, ut sigillum conuentus semper sub tribus clauibus in archa bene firmata teneatur, quas omnes uel ad minus duas

conuentus fratribus aliquibus timoratis committere publice in capitulo valeat, qui nullam literam sigillo conuentus sigillari permittant, nisi antea conuentus aut eius maior pars capitulariter consenserint. Similiter priuilegia, clenodia pociora monasterii et notabilia peccuniarum reposita sub diligenti custodia et pluribus clauibus teneantur, quarum unam ad minus conuentus retineat.

De priore claustrali.

Item abbas vicarium in spiritualibus, talem videlicet secundum decretalem Cum ad monasterium, priorem claustralem cum consilio conuentus instituat, qui post ipsum abbatem potens sit in opere et sermone, ut exemplo uerboque doctrine fratres suos et instruere possit in bono et a malo eciam reuocare, zelum religionis habens secundum regulam, ut deliquentes corripiat et castiget, obedientes foueat et confortet.

De cellerario.

Item iuxta capitulum tricesimum primum regule abbas cum consilio conuentus et prefatorum consiliariorum unum cellerarium constituat, virum religiosum et prouidum, ad tale officium ydoneum, qui ad arbitrium abbatis necessaria pro monasterio procuret et custodiat atque impensas ad hec et eius officium retineat necessarias. Qui eciam de omnibus per eum perceptis et expositis bis in anno aut, quociens abbati placuerit, coram eo et predictis consiliariis fidelem et integram rationem facere tenetur, ut sic status monasterii elarius agnoscat. Et propter eandem causasque alias uolumus, ut similiter abbas ad minus semel in anno coram prefatis consiliariis aut aliis per conuentum electis de omnibus per eum perceptis et distributis plenam rationem facere teneatur. Item dictus celerarius ex suo officio ordinare debet pro conuentu et infirmis victualia cum condimentis et aliis necessariis cum discreta alternacione iuxta monitum prenotatum, a quo fratres huius monasterii de licencia presidencium requirere habeant quelibet ipsorum victui necessaria secundum eorundem superiorum moderamen. Si vero occupacio sui officii tanto inualesceret aut alias nimis grauaretur seu impediretur, pro solacio sibi alius frater per abbatem deputetur, qui magister coquine aut dispensator poterit nominari. Et talis victui necessaria, prout tactum est, conuentui vice cellerarii habebit procurare.

De fratribus ad Rinichnach destinandis.

Item ad preposituram in Rinichna semper locentur fratres deuoti et exemplares, cultum diuinum pariter in choro nocturnis et diurnis horis cum religiosis cerimoniis et pausis, prout supra expressum est, peragentes habeantque prepositum, cui vice prelati obediant, uirum maturum et eruditum, zelum religionis habentem

ac auctoritatem ceteros puniendi. Qui tamen ad arbitrium abbatis potest amoueri et alius in suum locum subragori, sicut et reliqui fratres missi ad preposituram prefatam. Ipsi eciam in amictu, lectisteriis et victu sine esu carniū et aliunde viuant regulariter, sicut obligantur.

De plebanis et rectoribus ecclesiarum.

Item pro regimine parochiarum ad curam huius monasterii pertinencium dominus abbas pro tempore preficiat presbiteros vite exemplo honestos et verbo doctrine ydoneos, zelum habentes animarum, ne populus negligatur. Cogitet eciam, si sine damno monasterii cura parochiarum per presbiteros seculares sub annuo salario ad eius uoluntatem remouibiles possit exercere, tunc id faciat, prout nobis commisit reuerendissimus pater dominus legatus prenomiatus, super quo conscienciam abbatis oneramus. Conetur tamen, si secus fieri nequeat, ut paucos emittat ad curam animarum et cooperatores honestos, seculares scilicet sacerdotes, eisdem adiungat et presertim in Spitz. Qui eciam diligenter inquireat, qualiter rectores parochiarum suas commissiones expediant, diligentes confortet, negligentes corripiat et inhabiles amoueat, prout iudicauerit expedire. Qui eciam fratres in lectisteriis et victualibus sine esu carniū viuant regulariter, sicut obligantur. Consorcia uitent mulierum et, si procuratricibus propter animalia et curam domesticam indigeant, tantummodo honestas habeant, quas tamen in suis habitacionibus secum habitare non permittant. Verum parochiam infra septa monasterii, que exitum frequentem non exigit, permittimus per fratres regi, si fuerint ydonei aliunde. Quia eciam secundum apostolum, nedum a malo, sed a specie mali abstinendum est, idcirco statuimus, ne quisquam frater huius monasterii infra septa eius existens aliquam pecuniam quantumcumque paruum per unum diem naturalem apud se sine licencia retineat exceptis abbate, cellerario et fratribus de parrochiis uenientibus ad monasterium illuc reuersuris. Prior eciam seruare potest nouiciis et hospitiibus pecunias, quas apud se deponere uolunt. Item uolumus, quod auctoritas episcopalis in casibus reseruatis pro parochianis impetranda eisdem sine questu impendatur necnon quelibet alia sacramenta pure, sine pacto symoniaco conferantur. Plebani eciam et sacrista sive custos pallas altarium, corporalia et sacculos calicum, ornatus et omnes uestes ad dei cultum pertinentes nitidas et mundas esse procurent. Item uolumus, quod concessionem librorum fiant debita cum caucione, ut scilicet a monasteriis et prelatis recipiantur recogniciones, a secularibus autem pignora ualoris aequiualentis. Similiter fratrum a monasterio alienaciones ex causis sufficientibus pro tempore promittende fiant cum consensu conuentus et literatoria

licencia cum necessaria in foro consciencie prouisione. Nulla eciam monasterii bona immobilia vendendo, permutando aut quouis alio modo alienentur sine auctoritate preuia superioris. Suademus quoque, ne promouendis ad sacros ordines dentur prouisiones nec prebendarii assumantur in futurum, nisi se et sua donent monasterio.

Item secundum intencionem regule in diuinis officiis lectiones legantur autentice et non apocryphe. In refectorio tamen deuocionis causa legi possunt sanctorum legende non reprobate. Et rationabile uidetur, ut tota biblia aut maior eius pars singulis annis publice legendo in choro et refectorio compleatur.

Psalmodia eciam octo tonarum cum suis differentiis, modus accentuandi ac legendi lectiones in choro, refectorio, capitulo necnon prophecias, epistolas et euangelia secundum practicam monasterii Specus et monasteriorum inde reformatorum in hoc monasterio teneantur.

Vniformitas habitus.

Vt uero exterius in habitu conformitas appareat et differentia ab aliis ordinibus habeatur, volumus, ut floccus et cuculle de panno Spirensi aut alio mediocri cum capuciis apertis formentur et portentur sine fissuris circa scapulas in manicis floccorum.

Item uolumus, quod intra totalem murum monasterii circumferentialem non admittatur usus chorearum, ubi eciam conuiuia uirorum et mulierum simul possibiliter caueantur, et ianua ambitus, per quam itur ad curiam exteriorem, sit iugiter clausa, ne pateat libertas exeundi et intrandi.

De usu balneorum.

Item usus balneorum non nimis frequenter et iuxta regulam iuuenibus tardius concedatur salua semper pudicia et super intendencia presidentis. Locio eciam pedum cum hospitibus necnon diebus sabbatorum inter fratres saltem semel infra quindenam habeatur. Item ut efficacius obseruancia regularis in presenti monasterio introducatur et manuteneatur atque cerimonie et alie tradiciones concordius practicentur, volumus et committimus, ut dominus abbas et conuentus de monasterio aliquo secundum consuetudinem predicti monasterii Sacri Specus reformato aliquos procurent fratres religiosos, qui omnes huius monasterii professos instruant per unum annum ad minus de practica vite regularis, quos fratres nemo audeat molestare, sed et eis toto sue permanencie tempore in victu et aliis necessariis sufficienter prouideatur.

De labore Danubii.

Item quoniam pro labore Danubii prouentus habentur speciales ad precauendum futura damna et pericula grandia, seriose uolumus

et committimus, quod quilibet huius monasterii prelatus singulis annis ceptum dudum laborem fideliter secundum temporum congruenciam continuet, ne per negligentem intermissionem monasterio et ville eueniant irrecupabilia, ut premittitur. pericula et damna.

Item ordinamus, quod singulis annis circa festum purificationis beatissime virginis Marie prior, cellerarius, prepositi, plebani et omnes alii huius monasterii officiales in plena congregacione capituli petant se a suis commissionibus absolui per abbatem. Qui tamen abbas non nimis facilis ad mutandum officiales, sed cum consiliariis tractet et per se cogitet, qui sint aut non sint absoluendi.

Item quia venerandus pater Erhardus olim huius monasterii abbas infra nostre visitacionis actum ex causis pregnantibus libere cessit cum nostro assensu prelature, dignum est, ut honeste in futurum pertractetur. Quare auctoritate nostra stricte committimus, ut tam abbas, qui pro tempore fuerit, quam conuentuales eundem in decenti reuerencia habeant et singuli articuli in eius prouisione contenti fideliter teneantur.

Qui tamen pater Erhardus pacifice et humiliter conuersetur neminem uerbis aut factis quouis modo molestando. Item futuris turbacionibus obuiare cupientes domino abbati districte mandamus, ne occasione ad nos per fratres deductorum siue uerbo siue scripto aliquem eorum corrigendo aut alias quouis modo presumat molestare sub pena condigna per nos aut alios visitatores sibi irremissibiliter infligenda. Sub eodem mandato et debita pena fratres uolumus in hoc negocio obligari. Et si qui eorum conspiratores aut conspiracionis contra abbatem auctores reperti fuerint, grauiter puniantur.

Insuper seriose et attentius dominum abbatem requirimus, quatenus diligenter et vigilanter prouideat, ne nostre ordinaciones et statuta per suam aut sui prioris negligenciam in contemptum ueniant aut collapsum. Alioquin si inobediens, quod absit, aut negligens repertus fuerit et frenum fratribus suis perniciose laxauerit, non immerito officii sui iacturam habebit formidare. Vt autem prefate disposiciones nostre et ordinaciones atque statuta memoriter teneantur et efficaciter compleantur, uolumus et committimus, ut hec carta singulis quatuor temporibus anni semel in pleno conuentu diligenter et distincte legatur. Ne autem aliquis per ignoranciam premissorum se valeat excusare, abbati, qui pro tempore fuerit, seriose precipimus, ut hanc cartam diligenter custodiat futuris visitoribus pro reformatione huius monasterii deputandis in sequenti visitacione presentandam. Cuius copia penes priorem hic in conuentu ac in prepositura in Rinichna et parochia in Spitz habeatur. Quam quidem cartam

in suis omnibus et singulis articulis nullus, quacumque dignitate aut auctoritate, preterquam apostolica, prefulgeat, audeat reuocare.

In premissorum omnium euidens testimonium presentem nostre visitacionis cartam. Nos fratres Martinus et Laurentius abbates prenominati nostrorum sigillorum appensione curauimus munire, quibus et ego frater Johannes Slitpacher predictus ob carenciam proprii sigilli utor pro presenti. Datum in monasterio Althe Inferioris. Anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo¹⁾ prima die mensis februarii.

II.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Nos Thomas Lambacensis, Laurentius Celle Marie ordinis sancti Benedicti abbates, Johannes Aichelperger decretorum doctor, canonicus et commissarius ecclesie Patauiensis generalis, Steffanus monasterii sancte Dorothee Wiene ordinis sancti Augustini canonicorum regularium prepositus, Paulus Wann sacre theologie professor et predicator in summo Patauiensi notum facimus uniuersis, qui ad monasterium sancti Mauricii Althe Inferioris ordinis sancti Benedicti Patauiensis diocesis. Ex mandato et commissione reuerendissimi in Christo patris et domini nostri graciousissimi domini Vdalrici prefate Patauiensis ecclesie presulis dignissimi visitacionis gracia venientes reperimus ipsum monasterium tam in spiritualibus quam in temporalibus multum collapsum atque a carta et ordinacione ipsis anno domini millesimo quadringentesimo primo²⁾ auctoritate apostolica traditis in pluribus deuiasse. Quam quidem cartam et ordinaciones ipsis eciam auctoritate prefati reuerendissimi domini nostri ac nostra tradimus obseruandas in omnibus punctis et clausulis suis, precipue in clausura. Itaque ianua de corpore ecclesie ad ambitum semper sit clausa, ut mulieribus numquam pateat accessus ad ambitum nec ultra altare sancte crucis uersus chorum accedere audeant.

Nullus eciam fratrum proprium habeat scolarem pro ministrando ad missam nec aliquis frater det alicui scolari aliquid sine speciali licencia presidentis.

Omnia eciam ostia et porte fenestree suspecte inutiles uel nociue taliter obstruantur, claudantur et muniuntur, ut omnis occasio et suspicio mali auferatur. Prouideat eciam prelatus dormitorium et cellas secundum consuetudinem monasteriorum reformatorum a Specu, quantocius poterit, ut fratres sub clausuris nihil habeant.

Disponat eciam panem pro refectorio in quantitate secundum consuetudinem monasteriorum prefatorum.

¹⁾ D. i. 1452. Der Jahre-anfang wird vom 25. März gerechnet.

²⁾ Vgl. Anm. 1.

Item uolumus et mandamus, ut precipue plebanus in Schwartza cum fratribus sibi adiunctis non habeat residenciam extra monasterium, sed comedat et dormiat in monasterio.

Quia vero premissa aliaque in prenominata carta auctoritate apostolica tradita hucusque minime sunt obseruata, propter quod et quedam alia abbas Petrus tunc existens a sua prelatura depositus est atque carceri mancipatus, idcirco volumus et domino abbati sub pena deposicionis et amocionis ab officio prelature iniungimus seriose, quatenus exactam diligenciam in omnibus tam in spiritualibus quam temporalibus faciat, ut monasterium ipsum ad debitam obseruanciam reducatur. Quod ut facilius facere possit, plures fratres de monasteriis bene reformatis quantocius habere procuret. Et uni eorum, qui ydoneus fuerit, officium prioratus committat. Et quicumque fratrum domino abbati in tam sancto opere resistere uel quoque modo se opponere presumpserit, absque retractacione locum ultimum habeat et a uino et piscibus atque secundo ferculo tamdiu abstineat, quousque se cum obediencia subdat.

Hanc quoque cartam, sicut et prenominatam singulis quatuor temporibus legi volumus coram toto conuentu, ne quis se per ignoranciam uellet excusare.

Precipimus eciam, ut hec carta diligenter custodiatur futuris uisitoribus presentanda. In quorum omnium euidens testimonium presentem nostre uisitationis cartam. Nos Laurentius abbas Celle Marie, Johannes Aichelperger officialis et Steffanus prepositus supradicti nomine nostro et aliorum conuisitorum cum consensu eorum nostrorum sigillorum appensione curauimus munire. Datum in prefato monasterio sancti Mauricii Inferioris Althe octaua die mensis octobris anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto.

Břevnov - Braunau

in den Jahren 1740—1746

(Nach einem Manuscripte des Klosters Braunau.)

Mitgetheilt von P. Laur. J. Wintera O. S. B. in Braunau.

Böhmen hat wohl unter allen übrigen Kronländern der österreichisch-ungarischen Monarchie die meisten und schwersten Schicksalschläge erlitten. Ein grosses Blatt seiner Leidensgeschichte nun gehört unbestritten dem altehrwürdigen Orden des hl. Benedictus, dem Orden, welcher vor allen übrigen zuerst hiehergepflanzt, jetzt ein Jahrtausend lang alle Geschieke des Landes theilt, bald mit eigener Hand in dieselben mächtig eingreifend, bald nur in herbe Mitleidenschaft gezogen.